QVOD CAROLVS IV. AVGVSTVS, non diſſipaverit Imperii patrimonium, qvatenus pertinet ad regnum Arelatenſe,

PRAESIDE

CONRADO SAMVELE SCHVRZFLEISCHIO,

aſſeret atqve evincet

GEORGIVS GIESE,

Magdeburgenſis,

A. cIↄ Iↄc XXCIV.

In Auditorio Maiori.

CVM PRIVILEGIO EL. SAXON.

Diſputatio XI.

LIPSIAE, Apud NICOLAVM SCIPIONEM.

cIↄ Iↄc XCIIX.

I.

SVnt imperia, qvae non pleno, ſed dividuo regendi iure conſtant, nec pro arbitrio, ac poteſtate Regiâ, ſed ex pacto et convento adminiſtrantur.

II. Qvorum tota vis ex mutua paciſcentium obligatione pendet, non qvatenus ea duntaxat ad modum regendi pertinet, ſed qvatenus ex ipſa imperii ratione intima proficiſcitur, atqve ad eius formam ſtatumqve ſpectat, et imperandi ius directe et intrinſecus afficit ac tangit.

III. Regna ſigillatim noſtrae gentis non teſtamento, ſed ſuffragio et pacto delata ſunt, qvalia ex praeſcripto prudentum *legitima* appellantur, revera autem ſeu principatus, ſeu potius Reſpublicae populares extiterunt, apud *Tacitum Mor. Germ.* XI. *6.*

IV. Sero autem Germania omnis coniuncta eſt, ac nominatim auſpicio CAROLI M. in unum civile corpus coaluit, firma pariter auctoritate regum, et ſalva procerum libertate, qvae vel maxime in regni comitiis relucebat.

V. Poſtea diſſidiis res Francorum attritae, ac demum caſu ſtirpis Carolingorum in eum locum deductae ſunt, ut Germania ſe in perpetuum ab iis ſeiungeret, et libero eligendi iure uteretur. Qvibus tebus evenit, ut ſub duobus primis regibus atqve imperatore Saxonicis, et Salicorum primo, novis fulta viribus, proferret fines ſuos trans Moſam et Rhodanum, et regna Lotharii Burgundionumqve ſubiiceret ſuae poteſtati.

VI. At non perinde cum Salicorum imperatore tertio actum eſt, qvo regnante auctoritas regum factionibus imminuta, haud parum de terrore et veneratione Germanici nominis apud finitimos exterosqve detraxit.

VII. Nihilo minorem Germaniae perniciem attulerunt effuſae Caeſarum donationes, qvarum ne Saxones qvidem, cetera fortiſſimi, et de univerſa Germanorum natione optime meriti, modum tenuerunt.

VIII. De Regno Burgundiae in ſuſpicionem vocatur CAROLUS IV. et qvaſi is tam prodigus largitor fuerit, atqve huius regni iure ceſſerit, a multis nec ſpernendis ſcriptoribus palam arguitur et accuſatur.

IX. Qvem cum defendere inſtituo, non ſuperiorum Burgundiae regum aetates et acta perſeqvar, ſed verum et civile regni iſtius imperium nulla CAROLI IV. ceſſione extinctum, Germaniae aſſeram, idqve variis ac ſine ſtudio odioqve depromptis monumentis confirmabo.

X. Principio ipſa Carolina ſanctio ad probandum hoc idonea eſt, qvippe qva tributus conceſſusqve Archiepiſcopo Trevirenſi titulus, ſolemne imperii miniſterium notat, et aperte indicat, id per Galliam et regnum Arelatenſe non inani, et dicis cauſa appoſito elogio patere. *A.B.tit.1.*

XI. Sane certum eſt, hanc legem Carolinam non univerſe ſtatum formamqve imperii definire, ſed cumprimis *Electorum* imperii, et *electionis* imperatoriae iura ſancire, atqve adeo nihil fruſtra et ſine cauſa in eam relatum eſſe, qvod ad *Electores* et eorum *officia* ac dignitates ſpectat.

XII. Ratio regulaqve interpretandi omnino optima, et neceſſario nunc adhibenda eſt, qvae Auguſti legiſlatoris menti congruit, et cavet, ne qvid ab eo ſancitum fruſtra, promulgatumqve videatur. vid. *de interpretatione Hugo Grotius de I.B. et P. II* XVI. *et* III. XIX. 3.

XIII. Proinde ſi ſacri imperii per Galliam et regnum Arelaten-

latenſe *Archicancellariatus* in ſede apud Treviros fundatus olim et fixus, ea in conſtitutione, qvae praecipue ad *Electores* pertinet, evidenter ac perſpicue archiepiſcopo Trevirenſi aſſignatur, ut certe ipſi prorſus aſſignari manifeſtum eſt: iure et merito ſumenda eſt interpretatio, qvae vetat amplecti id, qvod facit, ut aut verborum ſignificatio in irritum recidat, aut ſententia auctoris menti contraria et repugnans admittatur.

XIV. Illud certe conſtat, hunc *Archicancellarii* titulum a Boemundo inde archiepiſcopo ſumptum, et conſtanter eſſe ſervatum. Multi qvidem dubitant, aliqvi coniectura ducti affirmant, imperante FRIDERICO II. vel paulo poſt coeptum eſſe uſurpari, perinde ac arbitratur *Bernhardus Mallinckrot* in erudito libro *de Archicancellariis imperii Romani*. At iſtum ſane ſcrupulum eximunt tabulae Boemundi I. qvi ab A. cIↄ. ccxxcviii. uſqve ad annum cIↄ CCXCIX. ſedi Trevirorum praefuit, atqve hoc titulo uſus eſt, indicio iuris, qvod eopſe nomine ſignificatur, tunc nondum amiſſi, nedum derelicti. Reſpondet autem hoc tempus poſtremis Rudolphi Habsburgii annis, et complectitur tempora Adolphi Naſſavii, et pertinet ad initium legitimi qvoqve imperii Caeſaris ALBERTI. vid. *Chr. Browerus annal. Trevir. π. lib. XVI.*

XV. Qvare hinc ſeqvitur, Rudolphum I. ſumma eius regni poteſtate ſe non abdicaſſe, qvin potius in beneficiaria *Comitatus Provinciae* conceſſione, ſummum *directumqve* dominium ſibi reſervaſſe: certe autem univerſo Burgundiae regno nunqvam renunciaſſe, atqve eo etiam vivis exempto, controverſiam ſuper confirmatione ab Adolpho Naſſavio coeptam, ſatis evincere ac teſtari poſſe, Caeſarem in iure cum provinciae, tum praecipue regni Burgundiae tuendo ad ultimum perſeveraſſe; imo hoc regnante, Boemundum I. huius nominis Trevirorum antiſtitem, aſſerendi iuris ergo, nomen titulumqve *Archicancellarii* per Arelatenſe regnum ſuſcepiſſe. *Browerus d. l.* ubi exiſtimat, primum ab Arnoldo II.

Trevirorum Archiepiſcopo, qvi Friderico II. et Conrado IV. aeqvalis fuit, ſuſceptum eſſe hoc munus, deinde aliqvandiu intermiſſum, cum titulis attributum Boemundo, qvod vellem tabularum et teſtimoniorum fide firmaſſet.

XVI. Sunt, qvi exiſtiment, munus Archicancellarii Trevirenſis prius extitiſſe, qvam eius procurationem, ut argumento diplomatis colligunt, qvod extat apud *Gvil. Kyriandrum Auguſtae Trevirorum annal. part. XI, p. 76.* Vnde repetit Io. Limnaeus *Additionum t. V. lib. III cap. 5.* At ibi non agitur *de Archicancellariatu* per regnum Arelatenſe conſtituto, qvippe qvi aliqvot fere ſeculis poſterior eſt, ſed de *primatu* Galliae Belgicae, qva is ad ampliſſimam iurisdictionis eccleſiaſticae dignitatem ſpectat. Cuius origo eſt longe antiqvior, atqve a Ioanne XIII. Pontif. Rom. arceſſitur, et ad annum DCCCCLXIX. refertur. Eam deinde ſecutae ſunt confirmationes aliorum Pontificum, Benedicti VII. Leonis IX. Victoris II. *V. Chr. Brovverus annal. Trev. tom. I. lib. X. et lib. XI. Gv. Kyriander part. XI. Petrus Merſſaeus tabulas Leonis IX.* Eberhardo Trevirorum Archiepiſcopo datas memoriae tradidit, Victoris II. eidem conceſſas omiſit. *in annal. Archiep. Trevirenſium LXXVII.* Similiter Caſpar Bruſchius *in Epiſcopat. Germaniae in Eberhardo.* Diverſus eſt *Primatus* Epiſcopi Arelatenſis, qvi Francorum primae ſtirpis regum aetate conditus, principio per univerſam Galliam patuit: ſed poſtea Clodovaeo, ad religionis Chriſtianae ſocietatem perducto, Remigius in toto eius regno *primatum* adeptus eſt: in cetera Gallia, qvae Gothis tunc Arianis parebat, necdum regno Francorum coniuncta erat, Arelatenſis epiſcopus primatum obtinebat Qvod intelligendo Baronio plurimum facit, qvi privilegium Symmachi Pont. ad Caeſarium de *primatu* conceſſo perſcriptum, non ex ordine temporum, ſed ex inſtituti occaſione ad annum 502. retulit, et alteram eius epiſtolam anno 514. editam ex mutilo et mendoſo codice recenſuit ac vulgavit. In

qvo

qvo argumento felicius verſati ſunt *Jacobus Sirmondus*, *Petrus Marca*, *Carolus Cointe*, idqve iam non exeqvor, neqve huius eſt loci.

XVII. Igitur in praeſens qvaeri oportet cauſam, et principium conſervati iuris imperii, qvod CAROLVS IV. tribus, nec fallentibus indiciis aſſeruit et roboravit. *Primum* ſuppeditat publicum Aureae Bullae teſtimonium, in qva non primum conceſſus, ſed confirmatus eſt praedictus *Archicancellariatus*. Idem hoc argumentum eſt, qvod affert et urget Hermannus Conringius, et cenſet, ante hanc legem et pronunciationem CAROLI IV. *nondum id eſſe factum.* Non qvaſi in univerſum neget, Caroli *bullam* illud munus fuiſſe penes Trevirenſem: ſed qvod tunc conſtitutione imperatoris publica Trevirenſi primum fuerit aſſignatum, etſi iam ante hanc legem ſententia et beneficio Caeſarum revera Trevirorum metropoli conceſſum tributumqve erat, ut ex antiqvo et diligente *geſtorum Boemundi ſcriptore* aliqvoties evici: *conf. Conring. de fin. Imp. cap. XXIV. et diſſertatio de Officialibus Imperii*, §. *X.* Vbi tamen de tempore nihil certi conſtituit, et pronunciat, *vix claram huius Archicancellarii mentionem legi ante bullam Auream Caroli IV.* De ſanctione publica largior, qvae nuſqvam extat, in qva tale qvid legatur, de aliis conceſſionum tabulis nego, et Boemundi, qvi ante CAROLUM IV. vixit mortuusqve eſt, exemplum obverto. Ille autem geſſit hunc titulum, ut narrat *Boemundi ſcriptor*: qvod ius ſua auctoritate ſibi ſumere non potuit, eo qvod *regalia*, et imperii *officia* ſolo Caeſarum beneficio agnoſcantur, et conferantur. Accedit, qvod tam eminentia imperii *officia* occaſionem dederint, acqvirendis *Electorum* dignitatibus, atqve adeo cum ante has, tum certe ante Caroli *Bullam auream* coeperint, et conſtituta fuerint: qvod ſicut de ceteris omnibus conſtat, ita de Trevirenſi non eſt prorſus infitiandum.

XVIII. Qvare non dixerim, Trevirenſis ditionis metropo-

tropolin, antiqvitate et ſitu maxime egregiam, tamdiu huius muneris tituliqve fuiſſe expertem, ut eius Archiepiſcopus, per regnum Arelatenſe *Arcbicancellarius in Bulla Aurea* conſtituatur. Si is ſenſus ſit, qvaſi tunc primum coeperit, et conſtitutus fuerit: id qvod publicis actorum documentis et rationibus *pragmaticis* ad ſtatum conditionemqve imperii *Officialium* pertinentibus repugnat. Qvorſum tamen inclinant eruditi qvidam, et rerum Germanicarum periti homines, inter qvos familiam ducit *Joannes Straucbius*, *diſſert. exoter. II.* §. *9.* Conſentit *auctor nuclei Hiſtoriae Germanicae* §. *CCV.*

XIX. Alterum, neqve incertum, et temporum ratione prius, rei huius indicium praebet Carolina confirmatio, qvae aliqvot annis praeceſſit *Bullam auream*, et ſatis indicat, hoc munus atqve hunc titulum, non modo ante publicam hanc ſanctionem, ſed etiam ante Caroli IV. aetatem uſu tractandoqve cognitum fuiſſe. Nemo, qvod ſciam, huc reſpexit, nec diligentiſſimus Limnaeus, neqve perſpicaciſſimus Conringius, qvorum tamen induſtriam exercuit iſte labor. Teſtis eſt ſcriptor *geſtorum Balduini*, Trevirenſis Archiepiſcop., et Caroli IV. temporum aeqvalis, qvi totidem verbis ſcribit, qvae ſeqvuntur. *In curia Domini Karoli Imperatoris Moguntiae celebrata confirmationem* privilegio rumſorum et ſuper arcbicancellariatu regni Arelatenſis obtinuit, ubi etiam per totam Galliam et Germaniam tutor et mamburnus fuerat conſtitutus regni Romanorum, qvo plures ſua feoda reqvirentes infeodavit.* Haec Karoli IV. comitia acta ſunt Moguntiae anno MCCC XLVIII. qvae praetereunt Bohemici ſcriptores, qvaſi ad regnum ſuum non pertinentia, tacentqve Germanici, et inter hos Albertus Argentinenſis, Nauclerus, Trithemius, et alii, forte qvod tunc ius electionis Caroli adhuc eſſet controverſum. Iſta autem hoc maius robur habent, ſi comitia ab eodem A. MCCCLIII. indicta, et Moguntiae habita coniungamus, qvum citra controverſiam legitime imperaret, Gun-

* Sine dubio legendum *privilegiorum ſuorum*: eſt enim hic hiatus aliqvis, ſive verborum defectus, ut ex contextu apparet.

Gunthero qvoqve Schvvarzburgio, qvi vivus ſuo iure ceſſerat, extincto. Nam his poſterioribus comitiis privilegia huius ſedis denuo confirmata ſunt, ut ſcriptum reliqvit ***auctor geſtorum Balduini ad b. a.*** Ioannes Trithemius, qvi multa alioqvin ſcriptori huic accepta tulit, dicta comitia in annum MCCCLIIII. reiicit, qvas rationes ſeqvitur Chr. Brovverus. Illud omnino liqvet, inter alia Caroli IIII. privilegia, Balduinum ius ***typarii imperialis*** in Gallia et Arelatenſi regno adhibendi, pro ſe et omnibus inſeqventibus Archiepiſcopis obtinuiſſe. ***Qvo vid. Brovver. annal. Trev.*** t. II. lib. XVII. Qvod argumento eſt, regnum Arelatenſe imperio non eſſe ſubtractum, qvia ratione eius munus ***imperiale*** non modo relictum, ſed qvoqve novis cumulatioribusqve privilegiis auctum fuit.

XX. Tertium, nec minus validum non abalienati ſupremi dominii praeſidium collocatur in regia inauguratione, qvae anno MCCCLXV. Arelati peracta eſt, evidenti ſane indicio regni illius, Germanorum imperio adhuc innexi et ſubiecti. Loqvatur pro imperatore Beneſſius, oculatus plurimorum Caroli actorum teſtis, idemqve Pragenſis ***Canonicus***, et diligens, gravis eruditusqve, et qvod maximum eſt, àetate coniunctus ſcriptor, cuius haec ſunt verba: ***Eodem anno*** (MCCCLXV) ***coronatus eſt D. imperator*** (Carolus IIII.) ***corona regni Aralatenſis, qvod Romano ſubeſt imperio, in civitate Arelatenſi, cum maxima ſolennitate.*** Nihil clarius eſſe, nihil planius dici poteſt in hac cauſa, qvae ad Caroli IIII. famam, et ad imperii iura pertinet, qvippe qvae ſolenni ***coronatione*** non imminuuntur, ſed integra et non mutata retinentur ac declarantur. Nam in alieno, aut abalienato regno ius ***coronandi*** nemo habet, et nullus eſt huiusmodi actus, ſi poteſtate imperandi, et ſumma adeo iurisdictione deſtituatur. Sciebant autem, nec contradicebant Franci occidentales, cum haec magno et publico apparatu agerentur. Rationibus ſuperſedeo, cum vel una haec firmiſſima ſit, qvae a ***ſecuto uſu*** ſumi-

tur, unde ius validiſſime probatur, ut eſt apud *Albericum Gentilium diſp. V. de extr. laeſ. mai. reo.*

XXI. Nec ſolum utendo *coronationis* iure, ius ſartum tectum conſervavit Carolus, ſed etiam exemplo redarguit fabuloſas narrationes hominum credulitate deceptorum, qvi putarunt, Rudolpho Habsburgio Caeſare, regnum Arelatenſe fuiſſe interceptum. Parum abfuit, qvin initio ipſe *Conringius*, auctoritate Alberti Argentinenſis permotus, aſſentiretur, ut ex epiſtola ad Gvilielmum Gvelforum ducem anno cIↄ XXXVII. perſcripta apparet. Sed poſtea, re diligentius expenſa, et comparatis amplioribus hiſtoriae Germanicae ſubſidiis, erudite et ſapienter monuit, Albertum id recenſentem, falli penitus et nugari, de *fin. imp. cap. XXIV.* Cui refellendo vel unus Beneſſius ſufficit, qvi diu poſt Rudolphum vixit, et imperante Carolo IIII. floruit, rerumqve ipſius pariter et iurium imperii gnariſſimus ſcripſit, *regnum Arelatenſe Romano ſubeſſe imperio*, id eſt, ab nullo anteriori Caeſare, qvatenus a Friderico Aenobarbo ſeries ducitur, ablatam, ſeu abalienatam et ceſſam, adhuc *imperiali* ditione et poteſtate contineri.

XXII. Forte occaſio fabulandi inde arrepta eſt, qvod a ſuperioribus Burgundiae regibus diu omiſſa eſſet *coronatio*, unde iuris deperditi argumentum repetebant. Refert enim Beneſſius, primum fuiſſe Carolum IV. qvi ſolennem illam regum Arelatenſium inaugurationem aliqvot ſeculis intermisſam revocaret, et *corona qvinta a trecentis annis neglecta coronaretur.* Verum ſicut uſu probata *coronatio* non dat ius, ſed datum conceſſumqve duntaxat oſtendit et probat, ſic intermiſſa nihil qvicqvam de iure qvaeſito detrahit, ſi aliunde ſervati *dominii* indicia ſuppetunt, qvae certe, cum Beneſſius ſcriberet, tam nota ac manifeſta, tamqve certa et indubitata erant, ut Carolus IV. pro ſumma in regnum illud poteſtate, in urbe Arelatenſi regium inſigne ſuſciperet: qvod fieri non po-

tuiet ſſ

tuiſſet, ſi regnum hoc extra fines imperii, et *imperialis* iurisdictionis ſitum fuiſſet.

XXIII. Qvare tot et tanta, et tam evidentia conſervati pariter et confirmati per Carolum regni Arelatenſis teſtimonia atqve argumenta non ſinunt, ut ſcriptoribus novis, et ſive errore deceptis, ſive ſtudio partium abreptis largiamur, Carolum extremo imperii anno abalienaſſe hoc regnum, idqve tranſtuliſſe in Franciae Delphinum. I. Eqvidem haec Caroli IV. abalienatio *facti* eſt, atqve ea de cauſa non *praeſumitur*, ſed ab aiente probari debet. II. Ea adverſatur ſuperioribus Caroli IV. actis, qvibus nihil de iuribus imperii derogatum eſt: illa autem eousqve valida et manſura intelliguntur, dum ex actis poſterioribus contrarium evincatur. III. In conceſſionibus de conſilio, mente et voluntate concedentis non obſcure et dubie, ſed evidenter et clare etiam conſtare oportet: id qvod natura huius negotii poſtulat, et adeo verum eſt, ut omnia ſuperiora acta, qvae principes aperte et expreſſe non reſcindunt ac mutant, non modo non mutua, ſed qvoqve confirmata eſſe cenſeantur. IV. Adhaec conceſſiones imperatorum ſemper tacitam habent clauſulam, *ſalvo imperii iure*. V. Nam ut actus concedentis valeat, duo ſpectare debemus, qvorum alterum eſt, an concedens transferre dominium re ipſa velit, alterum, an iure poſſit. Sane qvidem Caeſaris et reipublicae intereſt, ut iura imperii, et regiones imperio innexae conſerventur. VI. Qvare conceſſiones imperatorum non debent eſſe fraudi ſucceſſoribus, praeſertim in imperio *pactitio*, in qvo ut ius regendi, ſic etiam ius alienandi, ſpectat ad univerſos, tanqvam univerſos. VII. Vbi autem deeſt alienandi poteſtas, ibi obligatio conſervandi tamdiu manet penes imperatorem, qvamdiu is ſtatus reipublicae durat, in qvo univerſi ſimul ius imperandi habent. VIII. Niſi ergo hi ſimul conſenſum interponant, actus alienantis non erit per ſe validus, qvia ex natura imperii *mixti* hoc ſeqvitur, ut plures uno

 ſint,

ſint, qvi ſimul de republica ſtatuant, et leges ferant. IX. Magna una autem diverſitas eſt conceſſionum, qvarum interpretatio ita ſumenda eſt, ut imperatoris officio et voluntati congruat, nec poteſtati eius repugnet, neqve niſi ex gravi et evidenti cauſa ad ceſſionem ſupremi et *directi* dominii porrigatur. X. Inſpiciendae ſunt inprimis conceſſionum *clauſulae*, qvarum aliae derogantes, aliae reſervantes occurrunt: priores autem hic locum, non habent, qvia Carolus IV. acta ſuperiora, qvatenus ad ſupremum regni Arelatenſis dominium pertinent, non reſcidit, et data eius nomine confirmationis privilegia non irrita fecit, nec alia conceſſione ſuſtulit, neqve ulla ſanctione contraria mutavit. Alterae vero clauſulae ſupremum ius non auferunt, ſed relinqvunt certe et roborant, qvae conceſſionibus imperatorum adiiciuntur, qvando dominium, vel iurisdictio cum exceptione *directi* dominii, vel ſupremae iurisdictionis confertur. XI. Id vero hic uſuvenit, qvando Carolus IV. non ſummam, ſed vicariam qvandam poteſtatem Carolo Delphino largitus eſt, nulla partis imperii abalienatione, aut deminutione facta. XII. Praeterea Carolus IV. imperatoris Auguſti titulo rationem regulamqve non alienandi ſibi praeſcriptam eſſe agnovit, praeſertim cum recogitaret formulam primae Rudolphi Habsburgii conceſſionis, qvae ad Comitatum provinciae ſpectabat, et ſummum *directumqve* dominium concedenti reſervabat. XIII. Qvinimo minus conceſſit Carolus, et ne utile qvidem regni Arelatenſis dominium Delphino aſſignavit, ut qvi ſciret, regnum iſtud arctiſſime Germaniae coniunctum eſſe. Multum vero intereſt inter iurisdictionem vicariam et ſummam, qvarum illa non egrediebatur *perſonam* Delphini, et nulla deſcendentium mentione ei obveniebat, atqve ita concedentis ſummo iuri cavebat, ut cum vita Delphini deſineret ac finiretur. XIV. Tum respublica *iure minorum utitur*, maxime Germanorum imperium, qvod certis pactis ad fundamentum regendi pertinentibus

tibus conſtituitur et continetur: in qvo nulla pars legitime alienari, nullum membrum valide auferri et ſeparari poteſt, niſi omnes, qvi una cum imperatore ius deliberandi et ſtatuendi habent, ſciant, conſentiant et ſimul confirment. Si qvid autem inſcientibus his atqve invitis actum alienatumqve ſit, non modo ſucceſſor ad ſervandum non tenebitur, ſed qvoqve obligabitur ad reſcindendum, qvoniam non ex alia cauſa imperat, qvam ex natura huius actus, qvem *electio* et pactio prorſus et omnino metiuntur. Qvicqvid ergo iuribus imperii, et pactis imperium fundantibus adverſatur, et qvicqvid adeo principum ordinumqve imperii conſenſu non firmatur, id nullam iuris vim habet, nec recte alienatum cenſetur, atqve ex naturali iuris praetorii aeqvitate reſcindi debet, ut reſpublica, qvam ſalvam conſervari intereſt, vel ſic certe *iure minoris utatur*, et ipſa, etiam ſine praetore, vi ſummae poteſtatis, ſe in integrum reſtituat, et alienata repetat, ac donationes conventionesqve omnes, qvibus ipſa deterior facta eſt, reſcindat. Id qvod exigit obligatio, et cauſa habendi imperii, ratione cuius imperator non ſuccedit in patrimonio, ſed *electione* et pacto conſtituitur, ut ſalvis iuribus, imperium adminiſtret, in qvo regnandi genere ineſt ſane obligatio ad reſcindendas qvasvis conceſſiones, donationes et abalienationes, ad damnum detrimentumve imperii pertinentes, ſiqvidem imperatores contra pacta reipublicae, et citra aſſenſum imperii principum ordinumqve conceſſerunt, donarunt, atqve abalienarunt. *V. Hugo Grot. lib. II. cap. VI. et lib. III. cap. XX. de J. B. et P.*

XXIV. Iam ſatis intelligitur, qvo robore ſtent Imperatorum conceſſiones, qvove praeſidio muniantur: forte autem longius ab inſtituto deflexi, qvum conſilium mihi ſit excutere ſcriptores, per qvos rumor percrebuit, Carolum IV. de Imperii patrimonio detraxiſſe hanc inſignem nobilemqve partem, qvae nomine regni Arelatenſis appellatur. Antea qvidem a-

pud Romanos in urbe Arelatenſi palatium fuit, et Honorii Imp. auſpicio magnopere crevit, et evecta eſt, ſed inclinatis Romanorum rebus, Gothis victoribus ceſſit, et hinc a Francis Merovingis ſubacta eſt, at regibus Burgundicis tunc ſedem caputqve rerum non praebuit, neqve id temporis regni Arelatenſis appellatio audita, ſeu cognita usqvam fuit. Imperantibus Carlingis, *Arelatenſis* pagi mentio eſt in codicillis et tabulis, regni Arelatenſis nusqvam. Qvod comprobat *renovatio teſtamenti Abbonis per Carolum M. facta*, apud Ioannem Mabillon. *de re diplomatica lib. VI. dipl. LXII.* In teſtamento Caroli M. Arelatum numeratur inter *metropoliticas civitates*, regni titulo nondum inſignitur: apud Eginhardum *de vita Caroli M. cap. 33.* In altero, qvod Pithoeus edidit, Burgundia et Provincia memorantur, nihil de regno Arelatenſi traditur. Dux Arelatenſis Solciatus ab Hluthario impoſitus occurrit in *Annalibus Francorum an. DCCCXL.* Erat ſane tunc Burgundia regni Francorum provincia, atqve in ditionem horum veniebat anno DXXXIV. nomenqve hoc ab inſigniori et maiori parte capiebat, cum regni titulo et dignitate ornaretur. v. *Gregorius Turonenſis lib. III. cap. 6. et Marius Aventicenſis in Chronico.* Inde hoc regnum a Francorum ſecundae ſtirpis ditione ſeiunctum eſt, qvod anno DCCCXXCVIII. ductu auſpicioqve Rudolphi accidit, imperante Arnolpho. *Regino Chron. lib. II. ad h. an.* Poſthaec, tertia Francorum Regum *periodo*, Henricus Auceps, et Otto M. armis victricibus eo penetrarunt. Anno cIↄ XXXII. regnum hoc obvenit Conrado Salico, *ut eſt apud Vipponem in vita Conradi Salici ad hunc an. et ſeq.* Hinc demum Fridericus Ahenobarbus, inito connubio cum Beatrice, Rainaldi III. Comitis Burgundiae filia unica pariter et herede, hanc iuris firmandi viam reperit, et commoda occaſione uſus eſt, et Burgundiam novo atqve uxorio titulo acqviſitam, Germaniae iterum arctiſſime coniunxit. *Otto Friſingenſis de geſtis Friderici I, lib. II. cap. 29.* Radevicus Ottonis *continuator*

nuator refert, antiſtites primatesqve regni Arelatenſis, *omnimodam ſubiectionem et debitam fidelitatem Imperio Romano compromiſiſſe. lib. I. cap. 11. Guntherus lib. VI. Ligurini.* A qvo tempore appellatio regni Arelatenſis uſu imperii increbuit, et ſerio recepta, et conſtanter ſervata, atqve adeo in Caroli IV. tabulas redacta eſt, nomenqve regis Burgundiae, qvod e Francis Merovingis Gunthramnus ſumpſit, ſenſim exolevit. *V. Pontus Heuterus rerum Burgund. lib. I. qvi Boſonem contemptim et per contumeliam, Provinciae, aut Arelatum Regem dictum fuiſſe narrat, et Ioannes Buſſieres hiſt. Franc. lib. VI. De Gunthramno conf. Hadrianus Valeſius rer. Franc. lib. XX.* Vt vero regnum Arelatenſe Germaniae, ſic Gallia, qva ditionis Germanicae eſt, regno Arelatenſi coniuncta, atqve ad *imperiale officium* Archiepiſcopi Trevirenſis relata eſt, unde colligamus licet, non univerſam Galliam, ſed Belgicam ſolum, qvae una cum regno Arelatenſi ad imperium pertinet, hoc tali *Archicancellariatu* contineri *V. H. Conringius de fin. Imp. cap. IIX. Io. Henr. Boeclerus notit. Imp. lib. VI. cap. 6.* Non ſatis idonea eſt interpretatio Marqvardi Freheri *in notis ad Petrum de Andlo lib. II. cap. 1.* Nec melius explicat Abraham. Vrbanus *in diſſ. de Imperii Electoribus cap. IV. th. 3.*

XXV. Sed qvae et qvanta ſint tandem iſta teſtimonia, qvibus multi neſcio qvod pondus ineſſe putant, ut Carolum IV. culpae reum faciant, et diſſipationis Imperii bonorum, qvae regnum Arelatenſe complectitur, convincant, et alios ad aſſentiendum moveant atqve inducant, propius inſpiciamus. Theodericus a Niem, pontificius qvondam ſcriba, ac deinde Verdenſium apud Veſtphalos antiſtes, qvem manifeſto errore epiſcopum Virdunenſem nominat Balbinus, hodiernus rerum Bohemicarum ſcriptor, gravi accuſatione petit Carolum, et ſic ſcribit. *Carolus huius nominis qvartus Auguſtus, imo verius diſſipator iniuſtus, tempore Vrbani Papae V. regnum Arelatenſe, qvod ſimiliter eſt iuris et proprietatis Imperii, et qvod*

etiam

etiam dictus Otto Magnus Imperator adiecit imperio, ſumpto magno prandio apud Villam novam prope Avinionem per eundem ducem ipſi Carolo praeparato, tranſtulit in praefatum ducem, poſtea in regno Siciliae vita functum: nec his contentus idem Carolus, nobilem principatum Delphinatum vulgariter nuncupatum, qvi eſt una de ſeptem provinciis dicti regni Arelatenſis, qvod etiam Burgundiae nuncupatur, tranſtulit in Regem Francorum, ſub colore, qvod primogenitus regis Franciae dictum principatum, tanqvam vaſallus imperii teneret in feudum, et inde Delphinus vocaretur, de ſchiſmate lib. II. cap. XXV. Primo indicta cauſa reprehendit, criminatur et damnat Auguſtum. Deinde diverſa Caroli IV. itinera confundit, qvorum alterum anno cIↄ CCCLXV. verſus Avenionem ſuſcepit, atqve hanc urbem ingreſſus, Vrbano V. illic ſacris operanti affuit, cum domi rerum ſatageret Carolus V. alterum anno MCCCLXXVIII. iniit, atqve in urbem Pariſiorum ſumma pompa deductus, liberaliter habitus et cultus, ac ſolenni convivio ab rege Franciae exceptus fuit. Hoc fuit illud prandium ſcilicet, propter qvod Delphinatum et regnum Arelatenſe tranſtulit in regem Francorum. Hoc enim aperte falſum eſt, et alibi a ſeipſo diſſentit, putatqve, *Ludovico duci Andegavenſi, Francorum regis germano, ſuisqve heredibus conceſſum ac traditum fuiſſe. In nemoris unionis labyrintho tract. VI. cap. XXXIII.* Rurſus fallit, qvum Ludovicum Andegavenſem nominat, qvem ſcire oportuit, non Ludovicum Andium ducem, cui imperator nihil vicario iure gerendum tradidit, ſed Carolum Delphinum, eumqve Caroli V. ſapientis filium, hic fuiſſe denotandum. Neqve vero plenum ſummumqve ius in Delphinatum et regnum Arelatenſe Delphino conceſſum eſt, ſed vicaria poteſtas ſub auſpiciis imperii habenda, qvae ſine dubio minor eſt poteſtate concedentis, utpote cuius vicaria eſt, atqve vel hoc argumento ſumma dici ac haberi non poteſt. Qvod de *colore* et adornato in ſpeciem *Vaſalli* titulo ſub-

iunxit,

iunxit, non poteſt certis monumentis firmari illa Caeſarum ſub lege beneficiaria conceſſio, qvae qvidem ratione *Delphinatus* peracta ſit, omnino autem poſt deceſſum Humberti, ultimi Delphinatum principis, confirmatio Caeſarea ratione *Delphinatus* qvaeſita eſt, evidenti certe documento Caeſarei iuris, cui non officiebat donatio Humberti, qvippe qvae intelligi debet cum exceptione ſummae poteſtatis, qvae apud Caeſares ſarta tecta remanebat. Poſt haec Carolus IV. Delphinum non ratione *Delphinatus* regniqve Arelatenſis *Vaſallum* reddidit, ſed eum *Vicarium* conſtituit, nec aliud, qvam *vicarium temporariumqve* ius ipſi aſſignavit. Robertus Gagvinus refert ſeqventia. *Traditum a Gallis ſcriptoribus comperio, imperatorem qvibusdam caſtellis terrae Delphinatus donaſſe Delphinum, eumqve in Arelatenſi regno imperii vicarium inſtituiſſe. Hiſt. Franc, lib. IX.* Dicit, *qvaedam caſtella*, non exprimit, qvo iure, ſupremo, an fiduciario, an clientelari, an vicario poſſidenda donaverit: neqve vero terram *Delphinatus*, ſed aliqva duntaxat caſtella donata fuiſſe refert: adhaec donationis conceſſionisqve inſtrumentum non vidit, nec plus conceſſum affirmare auſus eſt, qvam qvod *Vicarii et locum tenentis* munere officioqve deſignatur. Totam vero hanc imperatoris conceſſionem reticet Paulus Aemilius *in lib. IX. de rebus geſtis Francorum in Carolo V.* Niſi qvod eodem libro in Philippo Valeſio tradit, Humbertum a nobilitate perſvaſum regionem Delphinatus regibus Francorum addixiſſe, ea tamen lege, ut filii ipſorum natu maximi et habiles, ſive ut Aemilius ſcribit, *in proximam ſpem regni ſuſcepti Delphini vocarentur, iuraqve Delphinatibus redderent.* Sed qvo iure id habeant, ſummo, an dependenti et vicario, non definit, nihilqve dicit contra ius Caeſarum, nec ad ultimam originem cauſamqve conceſſionis progreditur, ſed in dante inferiori et proximo, ſalvis imperii rationibus, acqvieſcit.

XXVI. Ioannes Aventinus, cetera eximius et diligens

Boiorum ſcriptor,profuſum donandi genus innuit,atqve haec de Carolo IV. ſcribit. *Galliam Narbonenſem, qvam Viennae principatum, Delphinatum, regnum Arelatenſe vocamus, ab imperio abalienavit. Ioanni ſororis ſuae marito, eiusqve filio Carolo qvinto, regibus occidentalis Franciae tribuit. Sigismundus filius eius, qui poſt rerum potitus eſt, approbavit. Diploma in bibliotheca Pariſiorum amplisſima, qvae in templo ſuburbano divo victori dedicata extat, legi. In libro VII. annalium Boiorum.* Exinde vero perſpicimus Aventini induſtriam, et diplomatis *Sanvictoriani* fide nitentis auctoritatem:adhaec conſulto praetereuntis ineptam et fabuloſam *Niemii circumſtantiam* de prandio apud Villam novam ſumpto, cuius nec ſcriptor vitae Caroli IV. neqve auctor vitae Vrbani V. neqve alius qvisqvam aeqvalis, aut ſuppar mentionem fecit, neqve ſtatus iſtorum temporum tulit, ut Carolus V. Lutetia facile excederet, qvi caput rerum prudenter tenebat, et ſedendo, ut dici ſolitum eſt, hoſtes vincebat. Illud autem libenter admittimus, ubi aſſentiendi cauſa eſt, ſed ubi cetera non reſpondent, ab eo diſcedimus, et nihil amori damus. Qvare colligo, Aventinum in digreſſione ad res Gallicas, muneris ſui oblitum,et errore memoriae lapſum, de diplomatis ſententia non tam ex accurata lectione, qvam ex fama, qvae apud vulgus percrebuerat, iudicaſſe, ut evenire ſolet iis, qvi iuvenes, nec aetate, neqve rerum uſu confirmati, ſtudiorum gratia apud exteros verſantur. Nam hoc liqvido ſcimus, *conceſſionem* Caroli IV. ad Carolum Delphinum, Caroli V. filium, Ioannis nepotem, ac Philippi Valeſii adeo pronepotem pertinere. Agnoſcit hoc Henricus Spondanus, et Caroli regis Francorum *primogenitum*, poſthac Caroli VI. nomine appellatum, fide viſi *diplomatis* memorat, atqve hoc temporum actorumqve rationibus congruit, nec traduci poteſt ad Carolum Philippi Valeſii filium, ut ſcribitur *in nucleo hiſtoriae Germanicae §. CCVI.* Conceſſit autem Carolus nihil Delphino, praeterqvam *vicari-*

cari-

tarium ius, nec plus ſane confirmare potuit Sigismundus.

XXVII. Iacet nunc, opinor, totius criminationis caput, nec video qvamobrem ex eo vel invidia colligi, vel odium Carolo IV. conflari poſſit. Caſparem Peucerum, virum noſtratis hiſtoriae et omnis antiqvitatis peritiſſimum, forte in hanc ſententiam traxit Aventinus: ille autem ut probet vera eſſe, qvae tradit, rationem addit, et hac qvidem in parte laudem obterit innoxii Imperatoris. Ita enim ſcribit: *Et qvod addictior eſſet Gallico nomini, ex prima conſvetudine, deinceps regibus iura regni Arelatenſis alienata ab imperio conceſſit, in maximum detrimentum imperii. Qva de re graviter et iure culpatur. Chron. lib. V.* Fateor qvidem, Carolum IV. diu in aula Gallica educatum, et mutato Venceslai nomine, Carolum ibi appellatum, atqve in mores Gallicos formatum, et deniqve illius gentis regibus neceſſitudine et connubio fuiſſe innexum, id qvod Gallici pariter et Bohemici ſcriptores teſtantur. Sed aeqvum non eſt, ut ideo huius facti, qvod fidem laedit, et pacta infringit, invidia in Carolum IV. conferatur. Hoc probandum eſt, non coniectura affirmandum, non ratione colligendum. Aliter fieri par eſt, qvum de promiſſo et pacto principis agitur, in qvo fides exuberare debet, et, ſi qvid contra admiſſum eſt, evidenter probari oportet.

XXVII. Nicolaus Vignierius huius conceſſionis cauſam et rationem ita explicat, ut eius originem ſimul ad Albertum I. referat, qvaſi is ſuo et imperii iuri in regnum iſtud renunciaſſet, ac deinde poſt eum Henricus VII. ſpe impetrandi conſenſus imperii principum, ſine ulla conditione et exceptione Philippo Francorum regi vendidiſſet. *Part. III. Biblioth. hiſtorial.* Nominat diploma transactionis, ſed non affert, ut propterea ab hoc teſte vim et pondus teſtimonii reqviramus. Mox hiſtoriam Epiſcoporum Trevirenſium nondum excuſam laudat, in qva exemplum transactionis reperiatur: ſed in caſtiga-

tiſſim rerum Trevirenſium hiſtoria, qvae diu poſt Vignierium induſtria Chr. Brovveri collecta, et opera Iacobi Maſenii edita eſt, perſpicue legamus, Boemundum et VVichboldum, per regnum Arelatenſe et Italiam *Archicancellarios*, reliqvosqve imperii principes conſenſum non interpoſuiſſe, Boemundum qvoqve, cuius in iſtis finibus et expediendi, et ſigilli imprimendi partes erant, ſigillum tradere noluiſſe, ut vel iſto denegati conſenſus et ſigilli indicio, haec actio ad exitum *effectumqve* non deduceretur, multo minus vim et auctoritatem *imperialis* transactionis conſeqveretur. *Qvod Limnaei et Conringii cauſa omnino meretur obſervari:* interim *vid. Brovverus annal. Trevir. t. II. lib. XVI.* Abſurdior eſt narratio, qvae extat apud Gvilielmum de Nangiaco, in hanc ſententiam, qvaſi ex formula transactionis, inter Albertum I. et Philippum pulchrum inita, Rhenus Franciae limes verſus Germaniam conſtitutus eſſet. Valde miror, id probaſſe fratres Sammarthanos, qvos iure caſtigavit Petrus Puteanus, et agnovit Belloforeſtius, non a Rheno, ſed a Moſa limitem utriusqve regni ducendum eſſe. *Conf. H. Conringius F. I. cap. XXIV. et Vlricus Obrechtus Prodromi vol. 1. cap. VII.* Aeqve vanum eſt, qvod commemorant de venditione Henrici VII. qvae non magis firma eſſe poteſt, qvam Alberti I. transactio, qvoniam imperatoribus non eſt ius alienandi partes imperii ſine conſenſu imperii *Electorum*, principum atqve ordinum, qvi nunqvam huiusmodi venditionem ſuffragiis ſuis comprobarunt. Neqve vero hac venditione opus fuit, ſi iactata Alberti I. donatio praeceſſiſſet. Nihil addam de auctoribus venditionem hanc celebrantibus, qvi ſuſpecti ſunt et variant, certisqve monumentis deſtituuntur. Inter hos eſt *Caſſanus*, qvi in probandi negotio haeret et ambigit, utrum ab Henrici, an a Conradi ceſſione regni huius ſupremum ius ſit arceſſendum, de qvo legere eſt in *Vindiciis Hiſpanicis Io. Iacobi Chiffletii*, ſatis ingenui et diligentis. Inprimis autem Caſſani, et ſimilium auctorum commenta vel

hoc

hoc argumento refelluntur: qvod ſi unqvam vel ab Alberto, vel ab Henrico, vel alio qvovis anteriori Caeſare, regnum ſaepe dictum regibus Francogalliae donatum aut venditum fuiſſet, non poſſet reddi ratio, qvamobrem Carolus IV. regis inſignia eo in regno ſuſcepiſſet: non item poſſet adduci cauſa, qvamobrem Carolum Delphinum cum vicaria iurisdictione per totum hoc regnum conſtituiſſet, ſi iam diu ante reges Francorum titulo donationis, vel emptionis ſupremum eius regni dominium obtinuiſſent. Imo ſi verum eſſet, qvod de Alberti I. et Henrici VII, ceſſione traditur, Clemens VI. Pont. Rom. tam enixe non laboraſſet de aſſenſu et confirmatione Caroli IV. cum Avenionem Provinciae urbem a Ioanna Neapolitana, tanqvam a Provinciae Comite emeret, qvod is tamen neceſſario faciendum ſibi putavit, et miſſo in Luſatiam nuncio impetravit, ſummamqve adeo imperii iurisdictionem in Provinciae Comitatum, ab exceſſu qvoqve praedictorum Caeſarum Alberti I. et Henrici VII. agnovit. v. *Abrahamus Bzovius, et Henricus Spondanus Baronii continuat. ad an.* 1348. et *Boſqvetus in vita Clementis.*

XXIX. Maiori prudentia, ut alias ſolet, Albertus Cranzius ad hanc rem aggreſſus eſt, atqve in Carolo IV. largiendi prudentiam deſideravit, et qveſtus eſt, exhauſtos ab eo eſſe imperii nervos, et vendita vectigalia publica, abalienatasqve imperii urbes, ut qvas venum expoſuiſſet, principumqve finitimorum ditioni attribuiſſet. *lib. X Saxon. cap. 3.* Nam diverſae ſunt qvaeſtiones de conceſſione dominii *directi*, ac iuris imperatorii in univerſum. II. Alia eſt diſceptatio de bonis imperii in alium ſtatum deductis, ut nihilominus adhuc ſumma imperii poteſtate contineantur: alia eſt de iisdem ab imperio prorſus ſeparatis, ita ut ab univerſo civitatis iure eximantur. III. Non paria faciunt amiſſio civitatis *imperialis*. IV. Qvoad enim civitas retinetur, manet parendi obligatio, etſi dignitas *regalis* amittitur, et priſtina conditio mutatur, ita ut

exemptus non proxime, ſed interiecto alio, puta principe, aut *territorii domino*, ius in civitate deinceps accipere teneatur. V. Imperatores ſaepe liberius verſati ſunt in bonis patrimonium reipublicae complectentibus, qvorum conceſſio ita ſe habet, ut per eam ſumma concedentis iurisdictio non extingvatur. VI. Qvamvis ne ſic qvidem mero ſuo arbitratu id poſſint, neqve olim iure potuerint: maioris autem momenti res eſt, ſi de ſummo concedentis imperio dona iſthaec conceſſa auferantur, atqve in aliud, et ſuis legibus utens imperium transferantur. VII. Etenim ab ultimis inde regum Germaniae, et ipſius adeo Ludovici Germanici temporibus, reges atqve imperatores noſtri liberum alienandi ius non habuerunt, qvamvis aliqvi eorum, neſcio qvo neceſſitatis praetextu, ante *rigorem Capitulationum*, reipſa alienarunt, ſalvo tamen imperii iure. VIII. Nam a principio reipublicae Germanorum *capitula*, unde *capitulationes* dicuntur, coeperunt, et ſemper uſu probata viguerunt, maxime autem aetate Caroli V. Auſtrii, increbuerunt et aucta ſunt, regniqve legitimi indicia praebuerunt. IX. Neceſſitatis exceptio non poteſt fraudi eſſe iis, qvi ſemper aſſentiendi iús habuerunt, et dato abalienationis *caſu*, conſenſum pro eo, ac decet, non interpoſuerunt, ſed imo contradixerunt et reclamarunt. X. Hinc ex eo capite neqvit obtendi *praeſcriptio*, qvoniam tali modo accipienti obſtat mala fides, qvando ſcit, nihil iure abalienari poſſe, ubi poteſtas abalienandi deeſt. XI. Nec vero ita abalienavit Carolus IV. ut ab imperio ullam imperii partem ſepararet, ſed qvod donavit et vendidit, id intra ſummam imperii iurisdictionem ſtetit, ac iis ſummi dominii legibus fixum permanſit. XII. Neqve in bonis *domanium* et aerarium *imperiale* complectentibus, pleno et libero iure uſus eſt, non modo ob neceſſarium imperii conſenſum, ſed qvoqve ob cauſam rationemqve evidentem ferendi onera reipublicae, et tuendi imperatorium ſplendorem. Qva de cauſa Electores ad Rhenum non ſatis

ſibi

ſibi cautum putarunt, niſi caput illud de conceſſis oppigneratisqve ſibi vectigalibus expreſſe in iuratas Caeſarum *capitulationes* referretur. XIII. Proinde dicterium qvod Maximiliano I. tribuitur, non eſt ita capiendum, qvaſi partes reipublicae inſigniores, nominatimqve regnum Arelatenſe a ſupremo Germaniae dominio ſeparaſſet, atqve in alienum et externum imperium traduxiſſet. Etenim nihil tale admiſit Carolus, et in conceſſione regni Arelatenſis clare ſignificavit, *Vicariatum generalem*, eumqve non hereditarium, ſed qvoad Delphinus viveret, conceſſum fuiſſe. XIV. Exinde eliciamus, *abſolutum imperium*, qvod conceſſione *vicariatus* generalis Delphino attributum memorat Spondanus, non deſignare ſummum *abſolutumqve* regendi ius, ſed plenam liberamqve adminiſtrationem, qvam eo titulo Delphinus habebat, atqve non ſuo, ſed concedentis nomine, nec proprio, ſed alieno et dependenti iure, neqve ſumma, ſed vicaria duntaxat poteſtate *ad tempus vitae*, retinebat, *in annal. eccleſ. Baronii continuatione t. 1. an. 1378.* Nullus dubito, id omne clarius fore, et ad tuendam hanc cauſam opportunius, ſi integrum, nec mutilatum diploma in poſterum edatur. XV. Eſto autem: conceſſerit ſummum regimen Delphino: ſummum certe ius ſibi et Germaniae reſervavit, qvod eo mortuo, Rupertus Romanorum rex principio qvincti decimi ſeculi teſtatum fecit, et publice evidenterqve declaravit, *Vicariatum* imperii alterum, Palatinatui Rhenenſi tunc coniunctum, per Galliam regnumqve Arelatenſe diffundi: id qvod ſummi, nec abalienati per Carolum iuris firmum ſane manifeſtumqve argumentum fuit. Extant tabulae apud Marqvardum Freherum, iuris neqvicqvam ablati teſtes, *in notis ad Petrum de Andlo lib. II. cap. 16.* Eſto: maiorem Bohemiae, qvam imperii rationem habuerit: eſto, illius commoda potius, qvam Germaniae qvaeſierit: ut eſt apud *Aeneam Sylvium hiſt. Bohem. cap. XXXIII. Io. Cuſpinianum Oper. de Caeſar. in Carolo qvarto: qvorſum ſpectant Iacobus Spiegelius*

gelius lib. V. in notis ad Ligurinum, et Simon Rettenpacher in annalibus Cremiſanenſibus lib. III. cap. 2. Non tamen ita curam cogitationemqve reipublicae abiecit, ut partes imperii de imperio demptas, in externa regna poteſtatesqve transferret. XVI. Extremo in abalienatione evidens neceſſitas ſpectari debet, citra qvam fieri non intelligitur, nedum *praeſumitur.* At vero tunc nihil occurrebat atqve incidebat, qvod neceſſitatis ratione ad pernicioſam eiusmodi ceſſionem imperatoris animum inclinaret. Regnum Galliae bello Anglico exhauſtum et fractum, vix ſeipſum tueri poterat, nec Germaniae metuendum erat, ſed ab auctoritate Caroli IV. conſilium et robur petebat, adeo ut ipſe pacis conciliandae cauſa in Galliam proficiſceretur. Neceſſitas ergo oſtendi non poteſt: utilitas qvoqve inde nulla ad concedentem redundabat: Nulla res, nulla ratio Carolum movebat, ut aliqvid tale moliretur. Clariora ſervati iuris indicia ſuperſunt, qvae doceant, nunqvam eo regno ſe exuiſſe Carolum, nec ſalva imperii maieſtate, in alium, externumqve principem transferre potuiſſe.

XXX. Nondum igitur iure ſuo Germania excidit, neqve in pace Veſtphalica, neqve in Noviomagenſi, qvae tota illius fundamento ſtat et nititur, priſtino ſummoqve regni Arelatenſis dominio renunciavit: qvinimo ratione eius non inanem *officii imperialis* titulum etiam nunc retinet, atqve huius uſu conſtanti et firmo, ius non ceſſum, neqve derelictum evidenti ratione aſſerit, ſervat ac tuetur.